



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

III. Ubi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

Quod oraculum longe sapientissimum est: ex quo nos bono cum Deo totam Ethicam deduximus, uti vedere est Tract. 1. circa inspect. sui. Hic vero oraculum illud applicandum est ad familiariores quasdam & frequentiores considerationes. V. G. an bonâ valetudine sis an adversâ, dives an pauper, doctus an indoctus, indigena an alienigena sit, & sine fine talia, penes quæ actio moralis multum variat: & prudentia alia atque alia agenda videt, ac omittenda in suo prototypo, quod semper contemplatur, nempe in Ratione.

II. QUID.

Hæc particula designat actionem exercendam, & etiam ipsum opus, quod actione ponitur: V. G. an ambulaturus sis, an domi studia tua curaturus: an convivio accepturus, & quos accepturus: an daturus librum, pecuniam &c. Symbolus hic

NE QUID NIMIS.

De quo satis dictum est Tract. 4. ubi de Diabolo.

III. UBI.

Hæc particula designat locum & personas actionem circumstantes: an scil. privatim an publicè fiat actio: an apud alios,

an semotis arbitris : an inter doctos & intelligentes, an vero inter idiotas & rudes : & clarissime constat actionem sæpe apud hos licitam & laudabilem, apud illos illicitam esse, & vituperatione dignam : sic V. G. profundas aliquas & subtiles ex Metaphysica vel Ethica desumptas quæstiones apud populum & ignaros disceptare, periculosum sæpe & vitio non caret : apud probos vero & sapientes, licet omnino, & perutile est, ut si dicas peccatum esse, ex misericordia & compassionem commotum aliquid facere, male id sonat apud populum : apud eos autem, qui in Ethicâ verâ bene versati sunt, nullam ea res difficultatem habet : noverunt illi ex Ratione faciendum esse, quicquid rite faciendum est : ex passione vero quicquid fit, male fieri. Symbolus :

DEUS VIDET.

Quo monemur, Deum, ubicunque locorum agamus, semper ante mentis oculum obversantem habere : nunquam ita secedimus ab aliis omnibus, ut Deum fugiamus, nunquam ita tecti & abstrusi sumus, ut non oculis eius nudi apertique simus : nihil enim latet ei, qui ex essentia
& na-

& natura sua omniscius est : ineptum igitur nobis videri debet , si putemus , nos latere cum humanos oculos effugimus , expositi interim oculis divinis : verum hic caute attendendum est , ne juxta hoc symbolum agere volentes ex timore vel simili aliquo affectu agamus , timentes scilicet ne aliquando vindictam de peccatis sumat , ideoque peccatis abstinentes ; sed ut ipsum pro oculis jugiter habentes , meminerimus legis , quam nobis tulit , eique semper obediamus : cavendum etiam ne loco Dei sinamus nobis hominis , aut hominem aliquem obtrudi , quem pro oculis soli semper habeamus , ut volebat Epicurus : *Aliquis vir bonus , inquit , nobis eligendus est , ac semper ante oculos habendus , ut sic tanquam illo spectante vivamus , & omnia tanquam illo vidente faciamus.* Seneca in Epist. 11. & 25. *Sic omnia fac tanquam spectet Epicurus.* Ubi se ipsum à suis , cum soli sint , pro oculis semper haberi vult : sed malo illo Dei vicario tota moralis disciplina subvertitur , dum assuescunt homines ad existimationem se componere , nec ad rigidam Rationis normam , sed ad Lesbiam regulam vanitatiffie exigunt : una salus erat in solitudine , quæ imaginaria ista celebritas quam Epicurus infert

& Seneca locis citatis tam vehementer amplectitur, & in quam naturæ vitio plus satis propendemus, interturbat: itaque vir bonus semper habebit Deum ante oculos, nullum hominem, solum autem Deum, idque ut assuescat non Rationi obedire, ut sua est (quod admodum lubricum est & ad philautiam certissime vergit) sed ut Dei est, mente scil. ejus conceptâ, & ad instar legis ab ipso emanantis nobis latâ.

IV. QUIBUS AUXILIIS.

Hæc particula designat Media, quæ ad finem adhibemus: & Media quidem, si per se bona sunt, non ideo tamen absolute bona erunt, nisi intentio nostra & finis simul bonus sit: contra vero si Media mala sint, non ideo fiunt bona, quia finis bonus est: V. G. dare pauperi eleemosynam, bonum est per se, sed dare pauperi eleemosynam, ut subornes eum ad accusandum vel interficiendum innocentem, malum est: contra vero servare vitam suam, bonum est: sed occidere innocentem (jussu V. G. tyranni, qui tibi necem minatur, nisi innocentem occideris) ut vitam tuam serves, malum est: unde axioma Ethicum: *Malum medium inquinat optimum finem, & optimus*